

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scientie prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Nam alie quidem partes gra
m meruerunt. ipsa autem plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oratio. Illuc uirga uesse
florida et fructifera maia uir
go uirginissima. de qua uirgo ille
et singularis flos et fructus pro
ditur. in uirtutum spiritualium germen eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mensurans dulcorem. flos cuius uoi
tas expellit mestitiam: fructus
cuius sacietas uenenam dat letitiam
Benedicta uirga de radice uesse:
uirtus et flos: qui de tali ra
dice ascendit. Benedicta arbor ben
dictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uirgo
maia in eternum benedicta. amen.

De receptioe iohannis bap^{te} Ca. iiii

Vit autem in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quidam
noie sachaias

de uice abia: et uxor eius noie

quantum ad obseruanciam ceremonialium:
sine quarela. quantum ad obseruanciam
iudicialium: quia pacifice se ad proxi
mos habebant. Et non erat illis
filius propter sterilitatem: quae est causa
specialis mulieris. Ex quo apparet
receptio percursoris miraculosa: quia
non fuit tantum per naturam: sed per
naturam gratia diuina adiuta. **T**
Iste herodes de parte ydumeo de
cendens fuit alienigena: et iam cep
trum ablatum fuit de iuda: et
ideo tempus aduentus christi instabat: quia
iacob patriarcha spiritu propheta sig
num aduentus christi prederant. qui reg
num iudee ad alienigenam translatum
esset dicens. Non auferet ceptrum
de iuda etc. **T** Et sciendum est hic
quod cum moyses unicum instituisse su
mum sacerdotem. cui mortuo unus per
ordinem succederet: dauid uolens im
plere cultum domus domini. de xxiiii fa
miliis quae descenderant ab aharone in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos tamen unus maior erat et su
mus omnium: qui dicebatur princeps sac
dotum. Instituit etiam ut uicissim mi
nistrantes per ebdomadam a sabbo
usque ad sabbatum tempore uias sine
singuli castissime student: nec
interim in domum ipsam intraret:
sed in domunculis circa templum

msw. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Comringus

c. 13. 17. c. XL.

F. III. 6.

7
DISPUTATIO
DE
NATVRA, PARTI-
BVS ET INSTRVMEN-
TIS PHILOSO-
PHIAE,

CVIVS THESES

AVSPICE DEO OPT. MAX.

IN ILL. ACAD. IVLIA

PRAESIDE

M. CONRADO HORNEIO
BRVNSVICENSI,

PROPRIO. KAL. MAII

DEFENDET

JONAS NICOLAI
AMFVRTENSIS.



HELMAESTADI,
Ex officina typographica IACOBI LVCII,

c15 15 c XV.



AMPLISSIMIS, CONSUL-
TISSIMIS ET PRUDENTISSI-
mis Viris, Pietate, Virtute, eruditione, mul-
toq; rerum usu conspicuis, DN. Coss: cæterisq; inclutæ
Reipubl. Osteruicensis Senatoribus dignissimis,
Dominis ac Mœcenatibus suis perpetuâ
animi fide colendis:

NEC NON

Reuerendis & Clarissimis Viris.

Dn. M. IONAE NICOLAI, Ecclesiæ
Calbensis ad Mildam Pastori, eiusdemq; διοικήσεως
Superintendenti vigilantissimo, patrueli suo
perpetim colendo.

Dn. M. HERMANNO VVITTERAMO
pastori Seëhusensi dignissimo, Affini suo longè
carissimo.


Dn. M. GEORGIO BOETHIO, Pa-
stori Aluenslebiensi fidelissimo, Affini suo
meritissimo.

*Has Philosophia primitas, in debita
observantia symbolum*

Dicat, Exhibet, Offert

IONAS NICOLAI Amfurtensis
Respondens.

.VX c d d



THESIS I.

Disputandam proposituri, Deo volente, doctrinam ethicam alteram Philosophiæ practicæ partem, ut ea X. ad Nicomachum libris tradita est ab Aristotele, antequam ad rem ipsam accedamus, operæ pretium fore censemus, si in genere de philosophia, eiusq; instrumentis, breuiter aliqua præmittamus.

II. Quibus rectè hoc loco consideratis, & à suo quasi fonte arcessitis, non tantum progressus facilius erit in cæteris, sed manifesta quoq; euadet philosophiæ inter reliquas disciplinas omnes, quæ quidem humana industria inuentæ sunt, summa dignitas & præstantia.

III. Etsi dubitare de hac nemo potest, qui quid sit philosophia, intelligat, cum naturâ omnes scire desideremus, & boni quoq; esse vel minimùm videri velimus.

IV. Est autem philosophia, ut nomen etiam indicat, sapientiæ studium. Sapimus verò animo: quare animi perfectio sit necesse est.

V. Animus porrò noster, cum primum in lucem edimur, potentiam tantum ad illam sui perfectionem habet, & ut dicebat philosophus, tabulæ nudæ instar est, cui inscriptum nihil dum est, etsi inscribi quiduis potest.

VI. Ut igitur perfectionem consequatur, potentia illa in actum deducenda est: deducitur autem habitibus.

VII. Habitus hi duum sunt generum, alij principales, alij instrumentales: instrumentales dicuntur, qui cæteris pro instrumentis sunt: principalium triplex differentia est: quidam enim dirigunt effectum rerum, quam Græci

πονησιν vocant, vt indigentia corporis potissimum subueniatur, quidam actionem, seu *πραξις*, eo fine, vt gerantur in vita, quae honesta sunt: quidam deniq; in sola rerum contemplatione occupati sunt & acquiescunt.

VIII. Soli autem principales proximè & per se animum perficiunt: instrumentales enim non nisi propter illos sunt, atq; eatenus tantum & ipsi ad perfectionem nostram aliquid conferunt, quatenus illis eorum ministerio opus est.

IX. Neq; tamen principales omnes in eundem censum veniunt, cum ij, qui effectiōni praesunt corporis vsibus praecipuè destinentur, vt diximus.

X. Relinquuntur ergo illi habitus principales, qui contemplationem & actionem dirigunt: hi enim duas praecipuas animi potentias, quae perfectione maximè opus habent perficiunt, intellectum & appetitum sensuum.

XI. Et hi sunt, quibus illa, quam diximus, animi perfectio absoluitur, & ex quibus sapientiae studium constat.

XII. Vt ita sit philosophia, si rectè & propriè loquaris, nihil aliud quam habitus mentis, industria nostra acquisitus, quo contemplamur ea, quae contemplanda Deus in hac rerum vniuersitate nobis proposuit, & vitam secundum rectae rationis normam & honestatem instituimus.

XIII. Propter haec enim duo homo natus est, & in tam pulcro hoc mundi quodam quasi theatro constitutus à patre omnium: & utroq; nomine à cæteris animantibus differt, & verè accedit ad ipsos coelestes genios.

XIV. Loquimur tamen de ijs omnibus, quoad naturali lumine rationis inuestigari ab hominibus potuerunt: nam quae praeter ea, quae docet nos ratio nostra, patefacta à Deo opt. max. sunt generi mortalium, ad sublimiorem disciplinam pertinent.

XV. Hæc

XV. Hæc est natura & definitio philosophiæ, si rem verbo exponere velis: quo intellecto de partitione quoq; eius nulla difficultas est.

XVI. Cum enim, vt patuit, duas diuersas animi facultates perficiat, facere id non potest, nisi duobus diuersis habitibus: namq; & obiecto hi different, & fine: vnde etiam modus procedendi diuersus erit.

XVII. Obiecto quidem different, quòd habitus is, qui in rerum contemplatione versatur, obiectum æternũ & immutabile requirat, alter vero, qui præter cognitionem actionem quoq;, eamq; præcipuè spectat, mutabile, & ita comparatum, vt ab ipso conformari & dirigi, vt velit, possit.

XVIII. Fine autem, cum alterius finis sit sola cognitio & contemplatio, alterius non tam cognitio, quam conformata iuxta cognitionem actio.

XIX. Quæ differentia tanta rationem quoq; procedendi, siue modum tractandi, eundem esse non patitur: aliã enim viã rerum scientiam per suas causas acquirimus, & aliã indagamus ex cognitione finis, qui in actione consistit, media, quibus actio absoluitur.

XX. Hinc duas philosophiæ partes constituimus, quarum vna in sola rerum contemplatione versatur, & Græco nomine theoretica dicitur, altera in actione consistit, & practica vocatur.

XXI. Cæterum vtraq; pars rursus diuiditur: cum enim theoretica pro obiecto habeat omnes res, quas contemplamur, pro diuersa earum consideratione diuersæ quoq; & distinctæ sunt scientiæ.

XXII. Et primo quidem cum Enti in generalissimo conceptu, siue vt Ens est, competant affectiones quædam, quæ cognosci de eo possint, eius vniuersalis est scientia, sapientia aliàs dicta, propterea quòd non tantum affectiones

proprias de isto subiecto per proximas causas demonstret, sed in ipsa quoq; principia inquirat.

XXIII. Sapientia enim est habitus ex intellectu & scientia compositus, quorum hæc affectiones per principia cognoscit, ille habitus ipsorum principiorum est, siue is, per quem principia cognoscuntur.

XXIV. Namq; & principia tam theoretica quam practica habitu aliquo cognoscenda sunt: neq; putandum cum illa innata nobis esse vulgò dicantur, propterea ita dici, quasi statim, atq; in lucem venimus, eorum cognitione præditi simus. Sed ita res se habet: naturalis potentia in animo, quæ ista principia respicit, ita comparata est, vt leui negotio, quum obiecta animo offeruntur, in actum deducatur, id est, animus quàm primum terminos simplices istorum principiorum percepit, componit eos, & de veritate compositionis certus est, sine præcedente discursu rationis, qui ad aliorum cognitionem requiritur.

XXV. Sic quam primum didicisti, quid essent bis duo, quid quatuor, cognouisti bis duo esse quatuor, & statim atq; nouisti, quid essent parentes, quid colere, sciuisti, parentes colendos esse. Et tamen neutrum eorum statim quum natus esses, cognitum tibi fuit, cum fieri non possit, vt de veritate compositionis terminorum simplicium constet priùs, quam ipsi simplices termini animo percepti sint.

XXVI. Addiscuntur igitur etiam ipsa principia, quam leui negotio, & nobis ferè non animaduertentibus. Quare eorum quoq; habitus aliquis est: quem Aristoteles, cum alio vocabulo destitueretur, intellectum appellare voluit, accommodato nomine ipsius potentia intelligendi vni habituum, quibus potentia illa perficitur.

XXVII. Sed redeamus vnde abijimus. Diximus, scientiam, quæ est de Ente, vt Ens est, ex scientia & intellectu
compo-

compositam esse, & propterea sapientiã vocari. Eadem hæc
alias Aristoteli dicitur τὰ μετὰ τὰ φυσικά, vulgò metaphy-
fica, quia physica sublimior est, & prima item philosophia,
quòd cæterarum scientiarũ princeps sit, tum propter com-
munitatem subiecti, tum propterea quia principia ipsa co-
gnoscit, & ea reliquis scientijs confirmat.

XXVIII. Et hæc est vna scientia, quæ, quia Ens in vni-
uersali conceptu pro obiecto habet, sola est vniuersalis: cæ-
teræ particulares sunt: vnaquæq; enim harum tantum Entis
particulam quandam abscindit, quam consideret.

XXIX. Quarum distinctio vt intelligatur, sciendum
est: primò, quicquid cognoscitur præter ipsum Ens in gene-
re, id esse vel substantiam vel accidens: deinde, accidentia
non cognosci nisi in substantia, exceptis illis, quæ quantita-
tis affectiones sunt.

XXX. Vnde manifestum est, præcipuè substantias co-
gnosendas esse, & harum diuersam considerationem præ-
re diuersas scientias.

XXXI. Substantiæ autem sunt vel corporeæ, vel incor-
poreæ. Corpoream considerat physica, incorpoream sci-
entia, quam de immateriatis peculiarem constituendam ef-
se rectè docuit Pererius.

XXXII. Etsi enim horum θεωρίαν metaphysicis adiun-
xit Aristoteles, quòd pauca esse videret, quæ de ijs cognita
nobis essent: tamen quia est hic peculiare obiectum scibile,
idq; nobilissimum, esse quoq; scientiam eius peculiarem o-
portet, vt ex Logicis intelligitur.

XXXIII. Hinc duæ sunt scientiæ particulares: quibus
additur tertia de illis accidentibus, quæ affectiones quanti-
tatis esse diximus: hæc enim quanquam & ipsa non sunt nec
esse possunt extra substantiam, tamen sine ea cognoscuntur,
cum primum eorum, vt vocant, susceptiuum siue πρώτου δεκτι-

κου.

ad, respectu cognitionis, sit quantitas, aliorum quidem uniuersa in genere, aliorum sola continua, siue magnitudo, & aliorum deniq; sola discreta siue numerus: omnia enim, quæ his competunt, mediante quantitate accidunt corporibus.

XXXIV. Dicitur autem scientia ista mathesis, & partes eius sunt geometria & arithmetica, quarum hæc numerum considerat, illa magnitudinem. Addi debebat tertia, ad quam pertinerent, quæ magnitudini & numero communia sunt.

XXXV. Porro, quia accidentia, quæ rebus propter quantitatem competunt, etsi primò cognoscuntur extra substantiam & materiam, tamen etiam in materia considerari possunt, si affectiones, quæ in geometria & arithmetica de quantitate demonstrantur abstractè, eadem post etiam in materia considerentur, & abstractè cognita materiatis applicentur, oriuntur disciplinæ mixtæ ex mathematica & physica, quæ mathematicis subalternari dicuntur.

XXXVI. Subalternari enim est, si quæ in abstracto cognita sunt de quantitate, ea ad materiam transferantur, eiq; vt diximus, applicentur.

XXXVII. Sic arithmetica subalternatur musica, & geometria optica, vtriq; logistica, algebra, astronomia &c. quæ enim arithmetica in numeris abstractè considerat, ea contemplatur musica in numero sonorum, quæ geometria in linea abstractè, ea optica in linea, vt in visu posita est, quæ deniq; arithmetica & geometria abstractè, ea astronomia in motu corporum cœlestium, & ita deinceps res se habet in cæteris. Atq; hæ sunt partes philosophiæ theoreticæ.

XXXVIII. Practicam in vita honestè instituenda occupari diximus: in honestate verò vitæ consistit summum hominis bonum, quod in ciuili societate consequi potest, vt suo loco explicabitur. Honestas vitæ actione virtutis constat.

39. Quod

XXXIX. Quod itaq; sit summum bonum, quid virtus, quæq; eius species, & quæ item alia, quibus ad summum bonum peruenitur, docet. Quæ si ab omnibus hominibus addiscerentur, & agerentur, non laboraretur. Sed neq; omnes ea discunt, neq; si discant, agunt.

XL. Quapropter vt nihilominus tamen secundum virtutem viueretur, & vitæ felicitas, quoad posset, procuraretur, constitutæ sunt resp. & societates ciuiles, (quibus naturâ homo etiam delectatur,) vt in his, qui virtute præstarent, cæteris præessent, eosq; & ipsos de virtute erudirent, & legibus cogere facere, quod vltro facturi non erant.

XLI. Hinc est, quod duæ sint philosophiæ practicæ partes, vna, quæ de fine totius, & medijs, ad eum ducentibus, in genere disputat, altera, quæ, quid resp. sit, & quomodo summum bonum in rep. introducatur, exponit: illa ethica, hæc politica appellatur.

XLII. Quæ diuisio etsi à vulgari illa, qua in ethicam, politicam & œconomicam distribuitur, non nihil abit, legitima tamen est, & ipsi quoq; philosopho approbata.

XLIII. Habet autem se vt diuisio artis medicæ, quæ & ipsa diuiditur in duas partes, vnam, quæ agit de sanitate, sine medicinæ, & remedijs in genere, quibus sanitas conseruatur vel reparatur, alteram, quæ in priore parte generaliter tradita ad specialiora accommodat.

XLIV. Nam, ne quis putet obstare œconomicam, quicquid de re familiari instituenda philosophia docet, id omne ad politicum spectat: tale enim est præsertim rectè educare liberos, quod vt aliter atq; aliter fit in alia atq; alia rep. ita à politico doceri debet.

XLV. Hæc est philosophia, eiusq; partes, & partium subdiuisio.

XLVI. Instrumenta philosophiæ sunt habitus animi, quos

quos supra instrumentales vocauimus. Horum vnus præcipuus est, quo in omni veritatis cognitione opus est: cum enim, exceptis principijs, nihil cognoscamus tam in theoreticis, quam in practicis, nisi discursu id inuestigemus, discursus autem iste sæpe hallucinetur, nisi potentia naturalis habitu aliquo perficiatur, inuenta est disciplina, quæ intellectum in discurrendo dirigeret: hæc Logica vocatur.

XLVII. Alter habitus instrumentalis est, qui politicæ inferuit: nam cum politicæ vnicus finis sit salus reip, hæc vero non semper autoritate & legibus tantum conseruetur, sed sæpe, vbi ista media deficiunt, alijs medijs opus sit, politicus subsidium, vndecunq; potest, sibi comparat.

XLVIII. Neq; enim populus hominum prudentum consilia semper capere vel peruidere potest, & orta seditio- ne autoritas & leges parum valent.

XLIX. Quapropter oratione in omnem partem comparata ad animos, quo velit, impellendos continere ciues in officio studet, & artis dicendi beneficio obtinet, quod è salute reip. esse intelligit, obtinere autem legibus & autoritate tum non poterat.

L. Tertium deniq; instrumentum est, quo sermo, qui mentis interpres est, comparatur: & hæc dicitur Grammatica.

LI. Et ista sunt instrumenta, quibus philosophia opus habet. Annumerari ijs possit etiam ars poëtarum: nam hæc quoq; politicæ operam egregiam præstat, quum hominum animos feros ad humanitatem & virtutis studium ducit, quo omnia poëmata eximia & fabulæ, tanquam ad finem referuntur: neq; enim delectare tantum, sed docere poëtæ volunt, imò ideo delectare, vt doceant,

CO-



COROLLARIA.

I.

Vna tantum est scientia de substantijs incorporeis, ut vna etiam de corporeis, contra quam statuit Pererius.

II.

Philosophia moralis omnino recte tradi non potest alio ordine, quam analytico, & absurde fecit Picolomineus, quod ordinem syntheticum ei accommodare voluit.

III.

Nullum instrumentum philosophiae pars eius esse potest: quare neq; Logica inter partes philosophiae recensenda est, nisi improprie loquaris.



Ad Dn. Respondentem.

Indocilis tolerare famem mercator, avarum
Per mare, per saltus, extremos currit ad Indos:
Nec timet insanos aestus, aut murmura Ponti,
Nec tristes Hyadas, nec monstra natantia Ponto,
Vt

*Vt tantum patrios, peregrina merce, penates
Impleat, atq; domi timido super excubet auro.
Impiger incuruo terram proscindit aratro
Agricola, vt parto fruier per frigora possit.
Diuersos diuersa iuuant: te cura parentis
Prouida sacratas sectari Heliconis alumnas
Iussit, & ingenuas pectus formare per artes.
Cuius in hoc tempus respondent omnia votis:
Quæ voluit, puer egisti, nec negligis vnquam,
Quæ te ad virtutis culmen perducere possint:
Dum quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non
Sedulus addiscis, iungens pia dogmata vatum.*

*Perge in ijs studijs, te multa Modestia porrò
Ornet, & hinc multum certò tibi cedit honoris,
Nec patriæ nostræ patres, aliq; patroni
Destituent vnquam, merita mercede clientem,
Vt te non pigeat Musarum castra secutum
Intendisse animum studijs, & rebus honestis.*

*Iulius Petri Osteruicensis
properabat.*

F I N I S.



94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.

V47


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Campus in Berlin-Potsdam
Via Lovienaa kam für illu



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet me-
te quam carne. Mutans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni ve-
beram. Que bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerit conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. Que cum gratia plena sit.
prius etiam quam accipiat: post accep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? Unum ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. Que celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fidei
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. Dicitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. Hec etiam sola per
omnes mulieres et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. Cum
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait In dolo par-
tes: uirgo maledictioni legis non
erat. maledicta sterilis: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. Unde
ipsa primicia uirginum dum primo
uirginitate sua de obtulit. maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. Et notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginem
salutem potit: quam dicitur sa-
luatioem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. In quo
uobis singulis dulcissima implen-
tur mysteria. Nam deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inuis ab omni uerbo
tunc uirginem que filia

7



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



V T A T I O
 D E
 A, PARTI
 INSTRVMEN-
 ILOSO-
 IAE,
 T H E S E S
 E O O P T. M A X.
 C A D. I V L I A
 S I D E
 O H O R N E I O
 V I C E N S I,
 K A L. M A I I
 N D E T
 N I C O L A I
 T E N S I S.
 E S T A D I,
 n i c a I A C O B I L V C I I,
 O C X V.

